LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

VETERIBUS CATHOLICIS

AD

CONGRESSUM COLONIENSEM

BENEVOLE INVITANTIBUS

EPISCOPI LINCOLNIENSIS

GRATIAS AGENTIS

RESPONSIO.

LINCOLNIAE:
TYPIS JACOBI WILLIAMSON.
1872.

Pag. 3, lin. 7, *pro* "Agrippensis," *lege* "Agrippinensis."
Pag. 9, lin. 19, *pro* "acclamationbus," *lege* "acclamationibus."

Viro erudito

H. WINGERATH,

S. P. D.

CHRISTOPHORUS WORDSWORTH,

Episcopus Lincolniensis.

Literis tuis, vir humanissime, quibus me ad Concilium Veterum Catholicorum Coloniae Agrippensis mense Septembri habendum vocâsti, citiùs rescripsissem, nisi res, de quâ in tuâ Epistolâ agitur, tanti momenti videretur, ut deliberationem maturam flagitaret.

Consulendos quoque de eâ arbitrabar viros quosdam primarios, quorum apud me plurimum valet auctoritas, praesertim Reverendissimum Antistitem, Archiepiscopum Cantuariensem, hujusce Provinciae Metropolitanum, cui canonicam obedientiam debeo. Rem quoque retuli ad venerabile Ecclesiae nostrae Cathedralis Capitulum, cujus suffragio jam munitus hodie tibi respondeo, cum grati animi erga te tuosque significatione, sperans fore, ut, diebus a te indictis, Deo favente, praesentiâ vestrâ Coloniae fruar, et conventui vestro intersim.

Sed dum hanc spem jucundam foveo, nonnullae me movent rationes, ut indulgentiam a te paulisper petam, dum animi sensus intimos tibi liberè exponere conor, quibus in incepto vestro tam arduo tamque glorioso contemplando afficior.

Primitivam Ecclesiae fidem instaurare, antiquam Ecclesiae disciplinam redintegrare, errores, corruptelas, novitates et superstitiones abstergere, in Ecclesiâ Catholicâ gliscentes et ingravescentes, et contra spiritualem illam dominationem strenuè decertare, quae Sacrae Scripturae auctoritati et Christianae Antiquitati adversatur, et omnia in Ecclesiâ et Republicâ perturbare, et pessundare, aggreditur,—hoc sanè saluberrimum opus esse videtur et nobilissimum, et quod omnium Christi fidelium studia ad se jure debeat allicere et conciliare.

Quocirca mihi quidem videtur, nos, qui in Ecclesiae Anglicanae gremio sumus nutriti, et qui insigni Dei Optimi Maximi clementiâ praeclaris in Ejus Communione beneficiis per multa jam saecula fruimur, vix Christiano nomine dignos existimatum iri, nisi omnia vobis prospera auguraremur et apprecaremur, et operam nostram pro virili parte vobis subministraremus.

Quâ quidem in contemplatione, non ingrata animum subit recordatio, quaedam esse planè singularia, quae amoris et pietatis nexibus nos vobiscum devinciunt.

Mille et centum anni jam effluxerunt, ex quo sanctus Bonifacius, quem vos "Germaniæ Apostolum" jure appellatis, ab Angliae nostræ litoribus ad Evangelium apud vos praedicandum profectus est. In iis praecipuè urbibus, ubi veterum Catholicorum nomen hodie potissimum floret (quod felix faustumque sit!) Apostolicum ministerium exercuit. Ultrajectum, Colonia Agrippinae, spiritualium ejus certaminum testes sunt. In Bavariâ Ecclesias struxit. Fuldense cœnobium condidit. Moguntiaci Sedem Episcopalem obtinuit, Germaniae et Belgii Primas. Complures Cathedras Episcopales in Germaniâ vestrâ erexit. Octo Concilia apud vos habuit, ut fidem Christianam promoveret, et disciplinam stabiliret. Denique Christi Ecclesiam, quam apud vos Apostolicâ manu plantaverat, sanguine suo beatissimus Martyr irrigavit.

Nos igitur Angli, nostrorum et vestrorum annalium memoriam recolentes, cum vobis, Germaniae veteribus Catholicis, Christianae fidei et pietatis arctissimis vinculis constringi videmur et consociari.

Nec minus nos officia Christianae benevolentiae a vobis erga nos praestita sumus experti. Septimo post Christum natum saeculo, venit ad nos a regionibus vestris vir sanctus Botolphus, divini Verbi praeco fervidissimus, et nobis praecipuè, qui agrum Lincolniensem incolimus, nunquam sine honore memorandus, ubi in fide Christianâ propagandâ feliciter laboravit, et apud quos urbs* florentissima nomen ejus est sortita, et memoriam ejus hodie servat et veneratur.

* Boston : *i.e.* St. Botolph's town.

The Rare Book & Manuscript Library UIUC

Liceat quoque mihi, vir humanissime, exemplum eruditissimi Præsulis excitare, qui per decem annos sedem Episcopalem Lincolniensem ornavit, Gulielmi Wake, et qui ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectus fraternam concordiam atque consensum inter nos Anglos et veteres Galliae Catholicos fovere commercio Epistolico,† et aliis benevolentiae officiis, impensè et strenuè tentavit. Cujus quidem desideriis et conatibus si eventus respondisset, minimè dubito quin alia futura fuisset Galliae et Europae facies atque status, quàm quem hodie cum tanto dolore omnes videmus.

His igitur praeteriti temporis monumentis edocti, praeclarè de nobis actum iri arbitraremur, si ad opus illud absolvendum a vobis tam feliciter inchoatum nobis aliquid adjumenti afferre liceret. Quid enim excogitari potest exoptabilius, quàm unanimi consensu laborare ad Dei gloriam amplificandam, et Ecclesiae emolumentum promovendum?

Accessit insuper aliud, propter quod literæ tuae humanissimae non mediocri voluptate me affecerunt.

Proximo anno Lincolniae in Ecclesiâ nostrâ Cathedrali Synodum habuimus, cui interfuerunt presbyteri hujus Diœcesis circiter quingenti, in quâ fraternum erga vos studium testificati sumus, et Synodicâ Epistolâ declarandum censuimus.‡

Paucis quoque interjectis diebus, in nobilissimâ hujus Diœcesis urbe, Nottinghamiâ, Conventus Ecclesiasticus cleri et populi habitus est frequentissimus, qui propensissimo erga vos veteres Catholicos affectu est animatus, et in quo vestrarum rerum gestarum, magno cum audientium plausu, facta est commemoratio.§

Quae cum ita sint, equidem mihi viderer officio meo Episcopali defuturus, et fratrum meorum votis parum satisfacturus, si a vobis ultro ad concilium Coloniae propediem habendum honorificè appellatus, desiderio vestro obtemperare detrectarem.

Verum enimvero, Vir amplissime, veniam te mihi largiturum facile mihi persuadeo, si, his lubentissimè commemoratis, quaedam

† *Vide* Hist. Eccles. Mosheimianam, ed. Lond. 1833. Append. 3.
‡ *Vide* "Lincoln Diocesan Calendar for 1872," pp. 101–4.
§ Report of the Nottingham Church Congress, Oct. 12, 1871.

alia, sepositis omnibus ambagibus, et unico veritatis studio commotus, nunc adjecero.

Vos, viri spectatissimi, "veterum Catholicorum" nomen vobis vindicatis; titulum sanè splendidum atque magnificum.

Nos quoque, Ecclesiae Anglicanæ Episcopi, Presbyteri, Diaconi et Fideles, eandem veterum Catholicorum appellationem nobismet ipsis attribuere non dubitamus. Omnem enim fidei Christianæ doctrinam recipimus, quae, a fonte sanctae Scripturae profluens, ad nos, per consensum Ecclesiae veteris Catholicae, tanquam per sacrum canalem, manavit.

Nos tria Ecclesiæ veteris symbola,—Apostolicum, Nicaenum, Athanasianum,— in Ecclesiis nostris recitamus. Nos Conciliorum veterum decreta in rebus fidei agnoscimus et veneramur. Nos, secundum Ecclesiae veteris normam, tres Ministrorum ordines, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, continuâ serie et nunquam interruptâ successione, ab ipsis Apostolorum temporibus, ad Dei Verbum rite praedicandum, et ad Sacramenta Christi legitimè administranda, consecramus. Ut verbo dicam, quodcunque Ecclesia vetus Catholica, ad salutem aeternam necessarium, agnovit atque recepit, nos agnoscimus atque recipimus; quodcunque in fidei articulis Ecclesia vetus Catholica ignoravit vel repudiavit, nos ignoramus et repudiamus.

Hìc, igitur, vir egregie, oritur quaestio non levis, inter nos vosque, amicè, tranquillè et moderatè, et sine partium studio, prout Christianos et Catholicos decet, dispicienda et disquirenda.

In illâ fidei formulâ,* quam à vobis anno 1871 Monachii promulgatam vidimus, duæ proponuntur assertiones, (pace vestrâ dixerim) quae non parvum nobis scrupulum injiciunt.

Primo enim loco vos Professionem fidei amplecti videmini, quae a Pio Quarto Papâ est edita, saeculo decimo sexto vergente, nempe anno 1564; et quae omnibus tanquam ad salutem necessaria praescribitur, "extra quam nemo salvus esse possit."

*Programm des Katholiken-Congresses in München (22-24 September, 1871). Stenographischer Bericht über die Behandlungen des Katholiken-Congresses. s. 221.

Quâ quidem in Pii IV^ti professione, duodecim fidei articulos deprehendimus, symbolo Nicæno-Constantinopolitano assutos, non quasi probabiles opiniones, sed sub poenâ aeternae damnationis ab omnibus recipiendos; quos ab Ecclesiâ vetere Catholicâ receptos, nedum omnibus inculcatos, nemo unquam demonstravit, neque demonstrare poterit.

Nobis quidem, in Ecclesiâ Anglicana enutritis, hi fidei articuli, utpote sequioris aevi placita, non se approbaverunt. Symbolis Ecclesiae veteris Catholicae acquiescimus. Et (si liberè loqui fas est) vir ornatissime, vos quoque Ecclesiae veteris fide contenti esse debetis, si veteres Catholici, non nomine tantum appellari, sed re verâ esse, desideratis.

Audaciusculè forsan haec effutiisse videar; sed vos ipsi huic nostrae loquendi libertati occasionem praebuistis. Etenim in eâdem vestrâ fidei formulâ, quam Monachii nuper edidistis,* vos ad decreta Conciliorum Ecclesiae Catholicae *indivisae*, tanquam ad optimum et tutissimum credendi exemplar, appellatis. Rectè sanè et egregiè, et quemadmodum veteres Catholicos decet.

Sed da veniam, sodes, vir humanissime, dum a te modestissimè quaero, si ad *indivisae* Ecclesiae fidem, tanquam ad sacrum portum confugitis, quorsum alter ille vester recursus ad Pii IV^ti Professionem, quæ certè ab indivisâ Ecclesiâ non est profecta, sed innumeras in Ecclesiâ divisiones peperit?

Haec, ingenuè fateor, ut mihi quidem videtur, "non benè conveniunt, neque in unâ sede morantur." Sed quandoquidem veteres Catholici appellari et esse vultis, malumus credere vos vetera Ecclesiæ indivisae decreta novitiis Pii IV^ti placitis esse praelaturos.

Quam quidem sententiam firmiùs amplector, quippe qui persuasissimum habeam, vos, si Pii Quarti dogmata mordicus tenetis, nunquam contra Pii Noni placita praevalituros; praecipuè contrà illud novissimum figmentum, et portentosum Vaticani sui concilii effatum, quo Infallibilitatis praerogativam sibi impiè arrogavit, et sic se suosque perpetuâ et inextricabili erraudi necessitate implicavit et irretivit.

* Loco citato p. 221.

Haec, vir erudite, nimis calidè fortasse disputari arbitraberis; sed longo usu didicisse mihi videor, veritatem, eamque sine fuco et fallaciis simplicem et illibatam, unicum esse Christiani amoris argumentum et significationem. Quare te tuosque his condonaturos facile mihi persuadeo.

Debebam quoque apertè declarare id quod de his rebus animo sentio, quippe qui officii vinculis, non tantum erga vos, sed erga nostrates quoque, obstrictus sim; et de utrisque malè meruisse mihi viderer, si, vobis inhonestâ adulatione assentando, Ecclesiae Anglicanae causam, (quam Dei et Veritatis esse causam nullus dubito) indecorâ proditione propinavissem. Nos nullas novitates in rebus fidei aucupamur, imò prorsus detestamur. Nos cum omnibus in verâ fide Catholicâ atque disciplinâ communicare avemus, et si quid nos ipsi a vetustate verè Catholicâ defecisse deprehensi fuerimus in rebus ad aeternam salutem necessariis, (de adiaphoris nihil moror) ad primitivae Ecclesiæ regulam a vobis revocari non refragamur, imò summoperè desideramus.

Sed haec hâctenus. Quoniam autem loquendi libertatem mihi vos non illibenter concessuros pro certo habeam, hoc quod jam restat dicendum, sine ullâ tergiversatione vel dissimulatione eloquar.

Neminem fere latet paullò attentiorem, vos, qui nobilissimum opus in vos suscepistis, Ecclesiam Catholicam ad veterem puritatem revocandi, in ancipiti rerum discrimine, quùm politicarum tùm praecipuè Ecclesiasticarum, hodie versari. Inter Scyllam atque Charybdim vobis est navigandum. Ab unâ parte, metuendum est ne formidolosâ Pontificis Romani dominatione, omnia ad se rapiente, et humana atque divina jura sub pedibus proculcante, prosternamini et obruamini. Ab alterâ parte, non minus verendum est, ne in multifaria dissidia distrahamini, et in novas opiniones et indisciplinatam licentiam evagemini, et, debilitatis et fractis per mutuas dissentiones viribus (ignoscite, quaeso, liberrimè loquenti) in confusionem civilem et ecclesiasticam dissolvamini. Unicum meo saltem judicio contra tanta mala remedium est, ut verè veteres esse Catholici firmiter atque constanter perseveretis. "Hic murus ahenëus esto."

Unitas in veritate contra unitatem in errore opponenda est. Authenticâ Christi Infallibilitate contrà adulterinam Pontificis Infallibilitatem est obnitendum. In Ecclesiâ verè Catholicâ contra Pontificis Ecclesiam haereticam atque schismaticam est decertandum. Nulla doctrina, tanquam ad salutem aeternam necessaria, populo credenda debet proponi, nisi quæ ex Oraculis divinis Sacrae Scripturæ hausta sit, et sinceræ Antiquitatis Christianæ fidei consentanea. Episcopi Catholici, Apostolorum successores, sed jam mancipia Pontificis facti, et Cathedrae Pontificiæ iniquissimi jurisjurandi, per quatuordecem sæcula post Christum natum inauditi, catenâ obstricti, magno Ecclesiæ detrimento, et suo ipsorum dedecori, in libertatem pristinam sunt vindicandi. Si his armis dimicaveritis, certam victoriam vobis Deo assistente, polliceri poteritis. Tum demum Ecclesia Catholica genuinâ puritate clarescet, et venustate reflorescet primitivâ.

Sed ut hæc votis nostris respondeant, non tantum numerosis hominum ingenii et eloquentiæ dotibus instructorum conventibus, utcunque ad mentes hominum excitandas et accendendas necessariis, et plaudentium multitudinum acclamationbus, res (meâ quidem sententiâ) transigenda est, sed quietè et tranquillè, et conjunctis consiliis virorum modestiâ, verecundiâ, gravitate, eruditione, sapientiâ, puritate fidei, et sanctitate vitae, spectatissimorum, praecipuè autem, sine quo nihil firmum esse potest, Dei Optimi Maximi favore et praesidio.

Si quid apud vos auctoritas nostra valeret, quae sentio quàm sit exigua, suaderem vobis (utcunque indignus qui monitoris partes in me suscipiam), ut quemadmodum factum legimus in Conciliis Ecclesiæ veteris, in quibus sacer Evangelii codex in regali throno in medio collocatus est, ut omnium oculis eluceret, tanquam cœlestis quædam credendi et docendi cynosura, sic apud vos quoque in vestro conventu fieret, ut Sacrae Scripturæ majestas omnibus colenda, ut regula fidei divina, observaretur ; et sicut in antiquæ Ecclesiae Synodis invocatio Sancti Spiritus praebat, sic in vestro quoque Congressu nobile et illustre præludium, hymnus ille penè divinus, Veni Creator, cantaretur, et Oratio Dominica sonaret, ut omnibus

palam fieret, vos non in vestrâ intelligentiâ, et in vestris viribus, sed in Sancti Spiritus afflatu et auxilio spem ponere; et quemadmodum in veteris Ecclesiae Synodis Professio fidei antecedebat, sic in vestro Concilio Symbolum Nicaenum ab omnibus unâ voce recitaretur, ut omnes scirent vos fidei et amoris sanctissimis nexibus consociari; et ut omnibus innotesceret, vos verè *veteres* esse *Catholicos*, et cum vetere Catholicâ Ecclesiâ Christum adorare, verum Deum, et verum Hominem, summum Ecclesiae Pastorem, et Maximum et Æternum Pontificem, Infallibilem fidei et morum Magistrum, "Regem Regum et Dominum Dominantium," et in Eo vos vestram fiduciam collocare.

Sed finis huic nimis prolixæ Epistolae jam faciendus est. Unum tantum vobis jam spondeo atque polliceor; si Deus nostram profectionem ad vos fortunaverit, me attentum auscultatorem, et devotum pro vobis et Ecclesiâ Catholicâ precatorem, habebitis. Vale, Vir ornatissime, et nos ama.

Dabam Riseholmiae prope Lincolniam,
A.D. v. Idus Sextiles, A.S. MDCCCLXXII.